Ośliński Martini: Quaestio physico-metaphysica de cognitione animae rationalis.

Oślński Martini

Quaestio physico-metaphysica de cognitione animae rationalis in statu separationis.

In Nomine Domini, Amen.

QUÆSTIO PHYSICO-METAPHYSICA.

Ex Lib. 3. Aristotelis de Anima, tex. 6. & 19. Tum ex Lib. 12. Metaph. eiusdem, tex. 17.

DE

COGNITIONE ANIMÆ RATIONALIS, in statu separationis.

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Magnifici, Perillustris & Reuerendissimi Domini,

D. M. SAMVELIS FORMANKOWIC;

J.V. DOCTORIS & PROFESSORIS;
Protonotarij Apostolici; Ecclesiarum, Cathedralis Cracou: CANONICI, Collegiatæ SS. Omnium CVSTODIS, Coniusiensis Curati; Contuberniorum Iuridici & Iageloniani PROVISORIS;
Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiensis, GENERALIS & VIGILANTISSIMI RECTORIS:

A

M. MARTINO OSLINSKI,
Philosophiæ Doctore, Cursus Vladislauiano-Philosophici Professore, Collega Minore, ibidemq; Ordinario Eloquentiæ Professore;

Pro Collegio Maiori,

Publicè ad disputandum

PROPOSITA:

In Peraugusto DD. Theologorum Lectorio.

Anno Coniunctionis Naturæ DIVINÆ *cum Humana.* 1686.
Die 19. *Nouembris Horâ.* 14.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

AD

D. T. O. M.

Gloriam & Honorem:

D. IOANNI CANTIO;

Inclyto Almæ Vniuersitatis Cracouiensis

PATRIARCHÆ;

Singulari Studiorum & Votorum

PATRONO:

Supplex Votum.

DIVE, qui nostri decus es Lycei;
Et pius Præses generis Togati;
Robur & tutela potens clientum:
Inclyte CANTI.

Sume deuotum stephanoma cordis;
Gratiæ magnæ rea mens quod offert
Supplici cultu; benefacta per Te
Cuncta reuoluens.

Tu mihi vitæ potioris es Dux,
Tu mihi Phœbus, mea Tu voluptas;
Tuq; solamen cohibens amara
Tempora vitæ:

Te prece appellans trepidus perire
Æger agnoui, inter acuta morbi
Tela, præsentem referens medelam
Cælitùs. & nunc,

O potens docti Columen Senatûs,
Limpidum Sidus gelidi Trionis;
Tu meis votis Cynosura, Tu Lux
Aurea luce;

Mentis obscuras tenebras repellens:
Adde virtutem, facili triumpho,
Vt Tuo fiam per aprica Stoæ
Lumine victor.

Ac meum semper cor amans & ardens,
Vota soluendo, Tibi de Sabæa
Messe odoratas adolebit Aras,
Corpore prono.

QUÆSTIO:

VTrum Anima Rationalis in ſtatu ſeparationis à corpore, per ſe ſubſiſtens; nedum Intellectum & voluntatem, ſed etiam ſpecies intelligibiles, quas vnita corpori, à ſenſibilibus accepit, retinendo: per eaſdem, ſicut & per alias in inſtanti ſeparationis infuſas, cognoſcat omnia, & intelligat; nec ne?

CONCLVSIO I.

Anima Rationalis in ſtatu ſeparationis à corpore per ſe ſubſiſtit.

COROLLARIA.

I. Corrupto corpore, Anima Rationalis, nec corrumpitur, nec interit.

II. Non eſt conſonum rectæ rationi, propter exiſtentiam Animæ Rationalis poſt ſeparationem à corpore, adſtruere metempſychoſim.

III. Status ſeparationis Animæ Rationalis, neq; eſt naturalis, neq; violentus, ſed præternaturalis; conformis tamen eius naturæ.

IV. Licet ſtatus ſeparationis abſolutè ſit perfectior; non tamen Animæ, quæ eſt infima in genere Subſtantiarum ſeparatarum.

V. Anima ſeparata, quamuis habeat naturalem inclinationem ad corpus; non eſt tamen violenter extra illud.

CONCLUSIO II.

Anima Rationalis à corpore ſeparata retinet Intellectum & voluntatem.

COROLLARIA.

I. Non tantùm Intellectus Poſſibilis; ſed etiam Agens, manet in Anima ſeparata.

II. Intellectus Agentis in Anima ſeparata munus eſt, ſpecies acquiſitas fouere, ac proportionare ad vſum illius ſtatus.

III Habitus virtutum acquiſitarum in ſtatu coniunctionis manent in voluntate Animæ ſeparatæ.

IV. Nullus ſenſus manet in Anima ſeparata, tam quoad actus, quàm quoad entitatem.

V. Cùm nullus ſenſus in Anima ſeparata maneat, per conſequens neq; vllus dolor manet; nec torſio ex ſe corruptiua ſubiecti afficit illam naturaliter.

CON-

CONCLUSIO III.

In Anima Rationali separata remanent Species intelligibiles, in statu vnionis cum corpore, à sensibilibus acceptæ; & aliæ de nouo infunduntur ei in instanti separationis.

COROLLARIA.

I. Datur in Anima separata facultas conseruatiua Specierum.

II. Species intelligibiles, per se loquendo, sunt eiusdem rationis, dum sunt in Anima coniuncta corpori, & cùm sunt in separata; per accidens tamen sunt diuersæ rationis.

III. Etiam actus scientiarum acquisitarum in statu coniunctionis sunt in Anima separata eiusdem Speciei; sed diuersus modus intelligendi.

IV. Anima nostra in statu separationis, non potest acquirere nouas Species ab obiectis ipsis.

V. Species quas de nouo accipit Anima separata, non dimanant ab ipsa; sed infunduntur ab Auctore naturæ.

CONCLUSIO IV.

Anima separata cognoscit & intelligit, quidquid est ab ea cognoscibile; vel per Species, quas secum detulit; vel per nouas in instanti separationis acquisitas.

COROLLARIA.

I. DEO suspendente influxum Specierum, potest Anima non intelligere; licet ex vi status separationis debeatur cognitio Animæ.

II. Cognitio Animæ separatæ de ijsdem rebus per easdem Species delatas, quamuis sit perfectior secundum quid; non tamen simpliciter.

III. Anima separata intelligit sine compositione & diuisione, & sine conuersione ad phantasmata.

IV. Licet obiectum proportionatum Animæ separatæ, sit quidditas omnis Entis naturalis; imperfectè tamen ab illa cognoscitur, etiam per Species infusas, nisi illustretur lumine superiori.

V. DEVS Gloriosus est primum intellectiuum immateriale Animæ separatæ, vt bonus, iustus, Auctor naturæ, & vltimus finis eiusdem.

CUI SOLI

Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, Honor, & Virtus

DEO NOSTRO,

In secula seculorum, Amen.

PERMISSV, MAGNIFICI DOMINI RECTORIS.